

quia justificatio non debet dici facta esse difficilius, et bonitas divina ac salvandi voluntas ad pauciores restricta post adventum Christi: tum quia justificatio jam inter gentiles a commercio Christianorum abscissos non debuit tribui miraculo, quæ antea sine eodem et communius haberi poterat. *Tum a difficultate Mysteriorum* Incarnationis ac Trinitatis, quæ vero aliquo conceptu præsertim muti et surdi a nativitate vix apprehendere possunt, ac revera obscuritate excedunt apprehensionem remuneratoris etiam ut supernaturalis. *Tum a fundamento necessitatis.* Nam fides in Christum explicita nec est formaliter justificativa, ut certum est contra Hæreticos; nec ex natura rei requisita, ut ostensum est; sed solum ideo necessaria, quia omnino decet, ut justificatus agnoscat auctorem et causam moralem suæ justificationis: atqui hæc decencia non arguit necessitatem medii, sed solum præcepti; cum sufficienter suppleri *absolute* queat per fidem remuneratoris Dei, qui prima et principalis causa justificationis est; ergo.

Prob. 2^a pars. Iisdem argumentis; tum quia nec Patres nec Scholastici antiqui distinguunt inter necessitatem ad salutem *ultimam* seu gloriam et inter necessitatem ad salutem *primam* seu gratiam et justificationem: tum quia gratia dat jus ad gloriam, nec aliud est necessarium, quam ut illa servetur, quod juxta Trid. Sess. 6. c. 11. fieri potest saltem tempore brevissimo, si nempe justus statim amentia perpetua vel morte corripiatur: tum quia, quamvis ad consecutionem vitæ æternæ dicatur necessaria hæc fides; tamen non major evincitur necessitas hujus fidei quam baptismi, sine quo reipsa suscepto tamen salus in aliquo casu obtineri valet: tum quia Scripturæ textus qui pro adversa parte afferuntur, magnam partem spectant ad justificationem, de qua sermo est Act. 10. 11. 15. 26. ad Galat. 2. ad Rom. 3. Ergo.

Ex his infero, nec fidem explicitam SS. Trinitatis esse in N. T. medium necessarium ad justificationem et salutem; eo quod allatæ rationes idem omnino evincant, et multo minora sint fundamenta Adversariorum pro hac parte, quam deducunt ex ratione de Christo, utpote cujus explicita fides quoad divinitatem nequit haberi sine cognitione hujus mysterii.

128. *Nec dicas* 1^o. Sacra Scriptura pluribus textibus inculcat necessitatem fidei, quorum triplex classis statui potest.

Ad 1^{am}. pertinent 1^o. illud Joan. 11. 25. *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* 2^o. ad Rom. 3. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum.* 3^o. Act. 26. 18. *Nunc ego mitto te..., ut (gentes) accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.*

Ad 2^{am}. spectant 1^o. illud Joan. 3. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.* 2^o. Act. 4. 12. *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 3^o. Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Ad 3^{am}. referuntur 1^o. illud Joan. 3. 18. *Qui credit in eum (filium hominis) non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* 2^o. Verba Christi Joan. 8. 24. *Si non credideritis, quia Ego sum, in peccato vestro moriemini.* 3^o. Ad Gal. 2. 16. *Scientes,*

quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; ergo.

R. N. Ant. Quod nimium probat, nempe nec Veteris Testamenti homines salvari potuisse sine fide divinitatis et aliorum prædicatorum Christi, nec posse salvari de facto ullum nisi post explicitam nominis Jesu confessionem. Itaque, *universim* loquendo, 1^a. classis probat duntaxat fidei in Christum efficaciam, 2^a. necessitatem meritorum Christi, 3^a. necessitatem fidei in Christum tantum de præcepto, et ex supposito prædicationis de Christo, quam qui non susceperint, vel ob ignorantiam vincibilem vel ob defectum fidei imperatæ peccant ac jure damnantur. *Speciatim* vero

Ad Class. 1^{am}. R. Et quidem ad 1^{am}. hic significari quid et Christus tanquam causa meritoria, efficiens, exemplaris et finis homini præstet, quidque fides viva ac formata charitate in homine præstare valeat, quin tamen indicetur, quid in defectu hujus fidei vel ex natura rei, vel ex libera Dei ordinatione per præceptum manifestata, mali aut penæ sequatur. Similiter ad 2^{am}. efficacia duntaxat fidei in Christum declaratur, non autem absoluta ejus necessitas, nisi per fidem Christi intelligatur fides ex meritis et doctrina Christi; sed hæc etiam est fides de Deo remuneratore, quæ simpliciter necessaria est. Eadem est *Responsio ad 3^{am}.*, ubi fides in Christum non tantum ad divinitatem, mortem et resurrectionem Christi restricta intelligitur, quod Adversarii contendunt; sed etiam ad alia fidei objecta et singulares revelationes, cum immediate hæc præmittantur: *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum, quæ vidisti, et eorum quibus apparbo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te etc.*

Ad Class. 2^{am}. R. Quoad 1^{am}. primo hic exponitur necessitas mortis Christi ad salutem hominum comparandam; secundo autem mortis hujus et fidei in Christum efficacia asseritur: ex hac tamen male argumentaris: Sicut olim a serpentibus admorsus non sanabatur, nisi distincte aspexerit serpentem æneum; ita nisi quis distincte crediderit Christum crucifixum, non salvatur. Nam hoc argumento fit progressus ultra litteram et sensum textus, cum nequidem sit omnimoda paritas hic instituta; alioquin et Christum corporaliter aspicere oporteret. Quoad 2^{am}. R. Prædicari hic a S. Petro Christum nostrum Redemptorem, ejusque meritorum necessitatem ad salutem universi mundi, non autem necessitatem fidei in ipsum, nisi ex præcepto et pro iis, qui, sicut Judæi tum temporis, haberent occasionem discendi mysteria Christi. Quoad 3^{am}. R. Cum S. THOMAS p. 1. q. 12. a. 4. et 6. item 1. 2. q. 3. a. 4. et L. 3. cont. gent. c. 61. ac alibi verba hæc accipiat in sensu *formali*, ideo cum illò multi probabilius statuunt, textum hunc non intelligi de fide, sed de visione beatifica Dei et Christi. Si vero verba etiam sumantur *causaliter*, necdum ostenditur hic adstrui æqualitatem necessitatis inter fidem utriusque objecti, tum propter manifestam disparitatem de necessitate ex natura rei intercedentem inter duplicem hanc fidem, tum propter proportionem fidei ad visionem beatificam, quæ postrema quoad essentiam haberi potest sine visione Christi, ut patet in angelis ante Incarnationem beatis.

Ad Class. 3^{am}. R. Textus *primus* aperte loquitur de non credente culpabiliter in Christum, cui sufficienter proposita est doctrina ejus et fides. Ut enim nihil dicam, quod opera aut omissiones solum culpabiles ad judicium,

de quo hic sermo est, pertineant, verba subjuncta id manifestant: *Hoc est iudicium: quia lux*, nempe Christus testificans de se ipso et prædicans, *venit in mundum, et dilexerunt homines*, scilicet Judæi hæc videntes ac audientes, *tenebras magis quam lucem: erant enim eorum mala opera*, h. e. avertabantur a Christi agnitione, quia ejus doctrina adversabatur eorum vitiis, quibus quasi tenebris magis delectabantur. Idem de *secundo* dicendum constat ex contextu. *Tertii* textus sensus, ut ex toto capite patet, duntaxat loquitur, opera *Judaicæ legis* ad salutem nihil prodesse, sed absque his solam fidem Christi utilem esse. Porro quamvis necessitatem fidei hic supponat, eam tamen non extendit nisi ad eos, quibus Apostoli prædicarunt Evangelium, atque hinc ignorantia nullo modo patrocinari poterat. Hoc idem applica textibus ad Rom. 10. 8. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde credideris, quia Dominus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Item Marc. 16. 15. et 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* etc. Hi enim omnes loquuntur duntaxat ex supposita prædicatione et auditu.

129. *Nec dicas 2º*. Pro necessitate absoluta fidei in Christum explicitæ stant Patres; ergo. *Prob. S. ATHANASIUS* postquam in symbolo explicaverat articulos de SS. Trinitate et Mysteriis Christi, sic concludit: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. S. AUG. L. de nat. et gr. c. 2. dicit: *Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari et redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et Sacramentum Sanguinis Christi*. L. de prædest. SS. c. 7. ait: *Si posset (Cornelius) sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus*. L. de cor. et gr. c. 7. n. 11. *Nemo, inquit, liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; et tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium*. S. THOMAS autem in 3^m. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. ait: *Post adventum Christi, redemptionis mysterium omnes tenentur explicitè credere; et q. 14. de verit. a. 11. similiter dicit, tempore gratiæ tum majores tum minores teneri ad Trinitatis et Christi fidem explicitam habendam*.

R. N. A. Auctoritas S. ATHANASII probat necessitatem fidei explicitæ de iudicio universali ac resurrectione corporum, et consequenter nimium; eum et illi articuli cum aliis ibidem contineantur. Itaque dicendus est tantum velle, quod salvus esse nequeat, qui hæc mysteria culpabiliter ignorat, negat, aut ne implicite quidem sub conceptu generico credit.

De S. AUG. dici potest ad *primum* textum, per fidem Christi hic intelligi ejus merita, uti ex adjuncto de Sacramento sanguinis et ipso sensu patet. Ad *secundum* respondeo, indicari necessitatem fidei ex præcepto pro illis qui audire possint Evangelium, sicut *Cornelius Centurio*, ad quem PETRUS non ad fidem duntaxat sed et ad baptismum conferendum missus erat. Præterea eundem Centurionem ante fuisse justificatum, quam Christum explicitè crederet, satis declarat ipse AUG. L. 4. de bapt. c. 21. scribens: *Esse cæperat justitia Cornelii priusquam ipse esset in plebe Christiana; quod*

idem colligitur ex Scriptura, cum de illo Petrus Act. 10. 34. dixerit: *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi*. Ad *tertium* textum dici potest, ex argumento quod S. Doctor ibi tractat, hæc duo tantum haberi: 1º. Neminem adultorum liberari nisi per fidem eorum, quæ Christus docuit, non autem per fidem in Christum, aut omnium eorum, quæ continet Evangelium; siquidem et hoc ipsi Adversarii fatentur, et verba AUGUSTINI in rigore sumi nequeunt, cum alias nec salvari posset, qui per illustrationem tantum divinam acciperet fidem Christi; quia addit: *Cum fides ex auditu sit*. Jam vero et fides eorum, quæ nos necessaria media dicimus, potest dici fides Christi secundum sensum priorem. 2º. Neminem conqueri posse de Deo, si condemnatur propter originalem labem, a qua per illam Christi fidem et amorem amicitia inde profectum purgatus fuisset, si audivisset Evangelii prædicationem; sicut nec parvuli injuste a Deo condemnantur ob originale peccatum, a quo liberati fuissent, si accepissent gratiam baptismi. Neutrum vero horum ostendit explicitam in Christum fidem esse medium necessarium in re ipsa.

S. THOMAS etiam nobiles Thomistæ apud SUAR. et LAYM. nostris partibus vindicant, tum ob testimonium ejus num. 124. recitatum, tum ob aliud p. 3. q. 69. a. 4. ad 2. ubi ait: *Ante baptismum Cornelius consequutus est, et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicitè*. Quare, quia etiam locis objectis utitur solum voce tenentur, potest ibi intelligi de necessitate, non medii, sed præcepti: qui sensus stare potest, licet ibidem addat homini, qui ex sua parte omnia præstaret per extraordinariam illustrationem vel submissum prædicatorem inferendam esse fidem Christi; quia sentire potuit hanc liberalem Dei providentiam locum habere in necessariis necessitate *primaria* præcepti.

130. *Nec dicas 3º*. Necessitatem absolutam probant Concilia; ergo. *Prob. In Conc. Later. cap. Firmiter. de Sum. Trin. definitur, unam esse fidelium universalem Ecclesiam, extra quam nullus omnino salvatur*. Sed qui non credit in Christum est extra hanc Ecclesiam cujus scilicet caput est Christus; ergo. TRID. vero Sess. 6. c. 6. agens de dispositionibus ad justificationem necessariis inter eas reponit fidem in Christum: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam... credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu... De hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*. Item c. 8. sic ait: *Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo*.

R. D. m. Qui non credit in Christum nec sub conceptu generico nec sub specifico C. qui quidem non sub conceptu specifico, sed tamen sub generico credit, *subd.* est extra hanc Ecclesiam externe et apparenter C. interne, re ipsa et quoad statum animæ N. Loquitur autem Concilium LATER. tantum de eo, qui nequidem interne et quoad animæ statum est intra Eccle-

siam; alias nec salus obtineri posset per baptismum flaminis aut sanguinis. Conc. TRID. vero cum utroque loco textum S. Pauli ad Hebr. 11. tanquam rationem asserti adducat, hoc ipso ostendit se caute ac studiose præscindere a necessitate fidei Christi explicitæ, ne nostræ sententiæ præjudicium ferret, cum eo ex textu sola explicita fides Dei et Remuneratoris necessaria declaratur. Præterea primo loco TRID. non agit tantum de necessariis necessitate mediæ, sed de communi ac ordinario modo se præparandi ad justificationem; alioqui necessitate mediæ etiam requireretur fidem concipere ex auditu, timere justitiam Dei, aliasque ex ordine actiones elicere, quæ ibidem recensentur: in secundo autem primario duntaxat decernit fidei divinæ in genere necessitatem et gratuitatem, non nisi secundario autem intelligi potest de fide in Christum, ob connexionem scilicet cum præcedente capite, ubi de baptismo mentio facta fuit.

131. *Nec dicas 4^o.* Necessitatem absolutam definierunt Pontifices; ergo. Prob. INNOC. XI. damnavit hanc propos. 61. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C.* Ex hac autem condemnatione sequitur, non tantum illicitam sed invalidam esse absolutionem talis ignorantis, quia declaratur ille incapax, qualis non dicitur quis propter solam culpam contra præceptum commissam; eo quod, si alias serio doleret de culpa cum proposito implendi præceptum, jam esset capax absolutionis.

R. Ex damnatione illius propositionis nihil inferri posse; 1^o. quia etsi ea probaretur absoluta necessitas notitiæ horum mysteriorum ad absolutionem, non probaretur tamen necessitas ad contritionem atque hinc ad salutem: 2^o. Quia pars prima propositionis loquitur illimitate, et intelligi etiam potest de ignorantia Dei Remuneratoris; secunda agit de ignorantia culpabili: unde quidem utraque recte damnata est, sine noxa tamen sententiæ nostræ, quæ neutrum asserit: 3^o. quia damnatio evincit tantum incapacitatem absolutionis licitæ, non autem validæ in subjecto inculpabiliter quidem ignorante hæc mysteria, sed reliqua tamen ad Pœnitentiæ Sacramentum requisita præstante; unde et Carden. in *Crisi* ad hanc propos. docet, *Sacerdotem in casu necessitatis, et ubi instructio mysteriorum fieri non posset, teneri absolutionem dare sub conditione.* Atque hinc etiam N. Seq. quæ ex eo non tenet, quia licite absolvi non potest ejusmodi ignorans quantumvis dolens et proponens implere præceptum, partim ob præsentem Pontificis declarationem, partim ob prohibitionem aliam ejusdem INNOCENTII, qui damnavit prop. 1^{am}. qua asserebatur licite agi posse secundum sententiam probabilem, quando agitur de valore Sacramenti, ubi contraria est tutior et probabilis; quod in præsentem casu locum habet.

132. *Nec dicas 5^o.* Rationes ac facta pugnant contra positam assertionem. Nam 1^o. fides in Christum magis est necessaria in N. quam in V. T.; item quam aliorum articulorum particularium: sed in V. T. fides implicita in Christum erat necessarium medium, et fides aliorum articulorum est necessaria necessitate præcepti; ergo in N. T. fides explicita Christi est necessaria et quidem necessitate mediæ. Conf. 1. Quia in N. T. Incarnationis

mysterium adeo clare et universim est revelatum, et fides de eo inculcata, ut, quantum est ex parte Dei, omnibus et singulis innotescat, adeoque invincibiliter ignorari nequeat; aut si invincibiliter ignoretur, id non Deo, sed hominibus sit imputandum; ergo convenientissimum est, ut ab omnibus explicitè credatur. Conf. 2. Plane conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit auctorem et viam salutis: sed hic est Christus; ergo. Conf. 3. Cornelius licet ex dictis supra jam justificatus, misso tamen etiam per miraculum Petro edoctus est mysterium Redemptionis Christi: quin et Patrum in V. T. justificarum nullus absque fide in Christum consecutus est æternam salutem, in quam rem iis in limbo detentis revelatio Messiae facta fuit a Prophetis et Patriarchis; ergo ad salutem saltem fides explicita Christi est medium necessarium.

R. N. Ass. Ad 1^{am}. D. p. 1^{am}. M. Fides in Christum in N. T. magis est necessaria necessitate præcepti quam in Veteri C. magis necessaria necessitate mediæ N. Etiam 2^{am}. D. Fides in Christum magis necessaria est necessitate eadem et præcepti quam fides aliorum articulorum, nempe necessitate primaria, cum aliorum fides sit tantum necessaria necessitate præcepti secundaria C. magis necessaria necessitate diversa et mediæ N.

Ad Conf. 1^{am}. T. A. Sub simili distinctione N. Cons. Ex clarissima etiam propositione mysterii solum sequitur, quod omnes teneantur sub præcepto illud credere fide explicita et perfecta; non autem quod fides illius explicita sit medium necessarium: cum si necessaria esset ex natura rei, debuisset etiam Antiquis proponi; quod autem nec ex natura rei nec ex ordinatione divina etiam nunc sit medium necessarium, supra ostensum est. Falsum præterea est quod adeo universim Incarnationis mysterium post Christi adventum fuerit revelatum, ut omnes et singuli, qui illud inter gentes, etiam non nisi ab aliquot seculis cognitæ, antea nescierunt, vincibiliter ignorarent: quamvis enim illi ob peccata sua actualia neglectumque eorum faciendorum, quæ quantum in ipsis erat, facere poterant ac debuerant, justo Dei judicio prædicationem Evangelii forte non audiverint; æque parum tamen illi damnati sunt ob hanc ignorantiam et fidei in Christum elicendæ omissionem, ac ob non observatas alias leges Christianas, quas una cum prædicatione Evangelii fuissent docti.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. 1^{am}. p. M. Plane conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit auctorem primum et qui est causa physica et principalis salutis C. nisi qui credit auctorem secundarium et qui est causa solum moralis subd. nisi qui credit eum saltem implicite C. explicitè N. Similem distinctionem etiam applica 2^o parti, et C. m. N. Cons. Convenientiæ hujus ratio nihil aliud exigit, quam quod fides in Christum explicita sit necessaria necessitate præcepti primaria; loquendo enim de necessitate mediæ utique misericordiæ et bonitati divinæ convenientius est, ut non exigat aliquid tanquam necessarium medium ad salutem, quod ex natura rei ad illam non requiritur.

Ad Conf. 3^{am}. R. N. Cons. De Cornelio autem notandum, rationem mittendi ad eum Petri sufficientissimam fuisse, ut is etiam crederet necessaria necessitate præcepti ac baptizaretur, utpote ad quæ tenebatur, alias laboraturus ignorantia vincibili et omissione culpabili. Non enim Deus vult ut homines tantum habeant necessaria media, sed capiant etiam necessaria necessitate

præcepti, si occasio illorum sit, qualis fuit illi Centurioni in Judæa et inter Judæos viventis. Adde hanc revelationem et missionem non fuisse factam propter unum Cornelium, sed propter universas gentes Ecclesiæ Christi adjungendas, ad instructionem Petri, exemplum conversionis, aliosque similes fines. Causa necdum concessæ beatitudinis Patribus in limbo detentis propria hæc erat, quod non deceret, ullum redemptum ante Redemptorem ipsum capere redemptionis mercedem, et membra bearî ante Caput cœlestis curiæ Christum: præterquam quod ratio assignata etiam non teneat ex eo capite, quod fides illa Patrum in limbo fuisset extra statum viæ, et hinc ad consequendam gloriam minime necessaria per modum meriti.

143. *Observa.* Ostensa hactenus assertionis nostræ probabilitas in *praxi* minime obesse debet aut fidelium in addiscendis his articulis diligentia aut Pastorum in iis docendis curæ ac sollicitudini. Cum enim thesis nostra probabilitatis limites non excedat, ac præterea ex unanimi omnium sententia *gravis* sit *obligatio præcepti*, post promulgatum Evangelium, notitiam fidei habendi istorum mysteriorum, a neutris quidpiam omittendum est, ex cujus defectu salus aut propria aut aliena in periculum incurrere queat.

QUÆRES II. *Quænam necessario credenda sint necessitate præcepti?*

144. *Nota.* Fides respectu *materiæ* dividitur in fidem *speculabilem* et fidem *operabilem*; quatenus nempe; quæ fide tenere oportet, alia per se ac immediate tantum notitiam ipsam mysteriorum ratione sui postulant, alia vero propter operationem vel vitam recte instituendam cognosci debent. Quamvis vero saltem quoad postrema quædam scientia naturalis satis esse videatur, fides tamen certior, et errori non æque ac ratio obnoxia desideratur a lege, quæ quod communiter necessarium est attendit ac providet, atque hinc præcipit fidem ut multis *per se* necessariam in re præsentis. Jam vero convenit inter omnes, ex gravi præcepto obligari omnes ad credenda, quorum fides est medium necessarium, atque hinc etiam oportere credi ex parte *Dei*, cum esse creatorem omnium, finem ultimum supernaturalem, auctorem justitiæ et remissionis peccatorum, legislatorem ac præmiatorem æque et vindicem: ex parte *creaturæ* autem animam esse immortalem, gratiam necessariam, peccatum offensam Dei. Nec minus exploratum est apud omnes post Evangelii promulgationem sub gravi obligatione præceptam esse fidem *explicitam* Incarnationis et SS. Trinitatis.

145. R. I. Quoad *speculabilia*; quilibet adultus ex gravi obligatione præcepti tenetur explicitè nosse et credere omnes articulos symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam. Ita *communis* cum S. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. et seqq. ex Conciliis Agath. can. 13. (Labb. t. 4. p. 1385.), Bracchar. III. can. 1. (Labb. t. 5. p. 896.), et Mogunt. can. 45. (Labb. t. 7. p. 1231.) atque ex usu et traditione Ecclesiæ non admittentis ad baptismum, nec absolventis in confessione, nec sponso benedicientis, nisi symbolum sciant.

Prob. Quam enim explicita debeat esse fides Christianorum, certior regula non est præ ea, quam Apostoli tradiderunt; id quod etiam ex inductione mysteriorum patet, quæ sunt vel Divinitatis vel Christi aut aliorum,

atque in symbolo continentur. Dixi: *saltem quoad substantiam*. Nam. 1. non videtur esse obligatio sciendi aliquas circumstantias, v. g. quod passio Christi contigerit sub Pilato; quod resurrectio facta sit die tertia: quamvis et ista cum aliis addiscenda sint. 2. Non est opus, habere conceptum omnino distinctum atque perfectam intelligentiam, cujus nempe nec omnes capaces nec plerumque gnari sunt; sed sufficit conceptus aliquis rudis ac minus perfectus, qui tamen mysterium in se proponat, discernatque a rebus aliis. Itaque non est necesse dignoscere, quomodo futura sit resurrectio, dummodo credatur, mortuos iterum suo in corpore victuros: neque opus est scire, in quonam proprie constituatur sanctorum communicio, sed nosse satis est, in collectione fidelium intercedere communicationem quamdam in operibus bonis, orationibus etc. 3. Neque datur obligatio verba omnia symboli articulorumque ordinem memoria tenendi, si modo res ipsa ac veritas cognoscatur; quanquam et longe utilius et rudibus præsertim maxime conveniens sit, symbolum *verbatim* continere memoria.

146. R. II. Quoad *operabilia*, adultus quilibet similiter tenetur scire 1. præcepta *Decalogi*; tum quia hæc quivis observare debet: tum quia principia tantum generalia legis naturalis non sufficiunt sive quoad Deum, sive extra materiam justitiæ, sive quoad interna; neque a plebe facile ad particulares materias et actus applicari possunt: 2. Præcepta *Ecclesiæ* saltem illa, quæ quemvis concernunt, ex eadem ratione: 3. *Sacramenta*, saltem ea quoad substantiam, quæ quis suscipere debet, qualia pro omnibus sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia; de quibus et fructum et necessariam dispositionem ad ea digne suscipienda, simul nosse oportet: 4. His adjungitur communiter notitia formandæ *Crucis*, et *Orationis Dominicæ*, tanquam necessaria ex præcepto; quia turpissima et fors aliquando *per accidens*, saltem ratione scandali, graviter peccaminosa esse posset negligentia circa hoc addiscendum et ignorantia.

CAPUT III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI DIVINÆ?

147. *Nota I.* Actus fidei divinæ habet objectum formale, sicut omnis assensus intellectualis: et generatim quidem fides innititur auctoritate loquentis; sic fides divina debet niti auctoritate Dei testantis, ex 1. Joan. 5. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, h. e. si assentimur ob testimonium hominum, multo magis assentiri debemus ob testimonium Dei.*